

Plato nominibus non distinxit, re distinxit, nam Sophiae, scientiae, artis, prudentiae nomina saepe pro synonymis habuit. Philosophiam ac dialecticam circa veri entis cognitionem primaria intentione ac fine versari. Cum autem cognitio circa haec
 5 genita versatur, philodoxiam Reipublicae 5. appellat:²³ *Non ergo quicquam aberraverimus philodoxos vocantes eos magis quam philosophos.* Et post:²⁴ *Eos ergo, qui ipsum unum quodque ens amplexantur, philosophos sed non philodoxos vocandum.* Hanc autem distinctionem superius inchoaverat ex entis ac geniti differentia, ait enim:²⁵ *Id quod prorsus ens, prorsus cognoscibile, non ens vero ullo modo, prorsus incognoscibile.* Et mox:²⁶ *Si vero aliquid ita se habet, ut sit et non sit, nonne intermedium iaceat inter sincere ens et nullo modo ens? Intermedium. Nonne ergo de ente cognitio erat? Inscitia vero ex necessitate de non ente? In intermedio hoc intermedium quid quaerendum est inscitiae et scientiae, si quid tale existit: omnino, numquid ergo dicimus esse aliquid opinionem?* Deinde concludens:²⁷ *Nunc vero apparuit intermedium horum, quod sane vocamus opinionem. Subiectum itidem eius cognoscibile subnectit:*²⁸ *Invenimus ergo, ut apparet, quod multorum multa legitima de honesto et aliis, intermedio*

²³ μὴ οὖν τι πλημμελήσομεν φιλοδόξους καλοῦντες αὐτοὺς μᾶλλον ἢ φιλοσόφους; [PLATO, R. 480.a.6 – 7]

²⁴ τοὺς αὐτὸ ἄρα ἕκαστον τὸ δὲ ἀσπαζομένους φιλοσόφους ἀλλ' οὐ φιλοδόξους κλητέον; [PLATO, R. 480.a.11 – 12]

²⁵ τὸ μὲν παντελῶς δὲν παντελῶς γνωστόν, μὴ δὲ μὴδαμῆ, πάντη ἄγνωστον; [PLATO, R. 477.a.3 – 4]

²⁶ εἰ δὲ δὴ τι οὕτως ἔχει ὡς εἶναι τε καὶ μὴ εἶναι, οὐ μεταξὺ ἂν κέοιτο τοῦ εἰλικρινῶς ὄντος καὶ τοῦ αὐτῆς μὴδαμῆ ὄντος; μεταξὺ. Οὐκοῦν ἐπὶ μὲν τῷ ὄντι γνῶσις ἦν; ἀγνωσία δ' ἐξ ἀνάγκης ἐπὶ <τῷ> μὴ ὄντι; ἐπὶ δὲ τῷ μεταξὺ <δὲ> τούτῳ μεταξὺ τι καὶ ζητητέον ἀγνοίας τε καὶ ἐπιστήμης, εἴ τι τυγχάνει δὲν τοιοῦτον; Πάνυ μὲν οὖν. Ἄρ' οὖν λέγομέν τι δόξαν εἶναι; [PLATO, R. 477.a.6 – b.3]

²⁷ νῦν δὲ γε πέφανται μεταξὺ τούτων, ὃ δὲ καλοῦμεν δόξαν. [PLATO, R. 478.d.11]

²⁸ ἠύρηκαμεν [εύρηκαμεν] ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὅτι τὰ τῶν πολλῶν πολλὰ νόμιμα, καλοῦ τε πέρι καὶ τῶν ἄλλων μεταξὺ που κυλινδεῖται τοῦ τε μὴ ὄντος καὶ τοῦ ὄντος εἰλικρινῶς [τοῦ τε ὄντος καὶ τοῦ μὴ ὄντος]. [PLATO, R. 479.d.3 – 5]